...nnes
...nol.

Castelli Danielis Lugubris metamorphosis

LVGVBRIS METAMOR PHOSIS

Amplissimorum in Ecclesiam Dei & Regni Poloniæ Rempublicam meritorum;

Illustrissimi & Reuerendissimi Domini

D. IOANNIS TARNOWSKI

Diuinâ olim prouidentiâ

ARCHIEPISCOPI LEOPOLIENSIS

Perpetui Abbatiæ Claræ Tumbæ Administratoris Vulgò Mogilensis, &c. &c.

Peraugusto Capitulo, Nobili Senatui, Amplissimo Scabinatui, Spectabili Quadraginta Virorum Numero, omnibusq; Ordinibus, & Populo Vrbis Leopoliensis, Pastoris sui amantissimo, exhibendorum:

Luci publicæ, mæstissimo impoliti calami stylo,

DVM

EIVS MORTALES EXVVIÆ

Magno omniũ Statuum & Ordinũ Archidiœc: Leopol: In cadauerosi tumuli foueam, ad Ecclesiam Metropol. Leopolien: imponerentur:

A

M. DANIELE CASTELLI

Philosophiæ in Vniuersitate Academiæ Cracouiensis Doctore, Scholæ Metropolitanæ Leopoliensis

RECTORE

Cum debito posthumæ memoriæ obsequio

Anno Domini, 1669 *Die* 17 *Septembris*

EXPOSITA.

LEOPOLI, Typis Collegij Societatis IESV, Imprimebat Simon Pratkiewicz.

IN
STEMMA
Venerabilis Capituli Leopolienſis.



Ne fors Virginei violentur LILIA prati
Hinc LEO Virgineos excubat ante pedes:
Dum ROSA crudeli Libitinæ carpitur vngue,
Non lacerat ſæuas, heu! LEO dente manus.

Perillustribus Reuerendissimis & Admodum Rndis Dnis.

D. CANONICIS ET PRÆLATIS

Perauguſti Capituli Leopol:

Nobilibus, Clarissimis & Amplissimis Dominis

D. PROCONSVLI CONSVLIBVS

Atq; plurimum Honoratis Viris Scabinis,
Et Spectabili Quadraginta-Viratui Vrbis Leopolienſis
Ob mortem Paſtoris ſui mæſtiſsimis
Auctor Apoſtrophen elicit.

Q*Vam in animo veſtro, profundius defixam habetis Illuſtriſsimi & Reuerendiſsimi Domini* IOANNIS TARNOWSKI *memoriam, Auguſtis Nominibus Veſtris Proceres Ampliſsimi conſigno. Iactura hæc Libitinæ nulli parcentis non aliter rependi potuit; quàm literatis à morte vindicijs, eius Viri; ex cuius vltima periodo,* TERRARVM RVSSIÆ METROPOLIS, *magno dolore Paſtoris ſui Vigilantiſsimi, Metamorphoſis lugubris aſsumpſit faciem. Meus certè tenuis calamus, prodire in conſpectum veſtrum, quo nihil gratius oculis meis exoriri poteſt, non auderet; & potiùs ad tanti Viri occaſum frigidior marmore obrigeſceret; niſi à me faſces Regiminis Scholaſtici tenerentur. Amiſit veſtra inclyta Vrbs Leopolienſis, omnis benignitatis, ſummæ bonitatis, Odoriferam Roſam, quæ in amæniſsimo Viridario Chriſti commemorantes Oues mirificè recreabat. Quare vt patrocinium exilis Camœna inueniat, ad Vos omni venerationis cultu Proceres Digniſsimi confugit: & in ſinu veſtro cum debita animi propenſione, Vir-*

tutum radices redolentis Rosæ ad nunquam morituram memoriæ famam collocat. Atq; vt altam Originem Sanguinis Illustrißimæ Familiæ TARNOVIANÆ *transmittat, facundam fæcundis Viris silentio inuoluit. Effloruit Ille inuiolato fidei Christianæ nitore, multiplici sapientiâ, rerumq; difficilium peragendi dexteritate toti Orbi Polono inclaruit. Ignoscet proinde summi iudicij Vestri ratio, quodsi non omnium Virtutum ob angustiam temporis, in Roxolanicis finibus suauiter olentis Rosæ explicabit specimina: in cuius funebralis pompæ apparatu, non tam illorum dignitatem, quàm meritorum plenum Archiepiscopum insinuo. Commemoratio profectò impolito stylo tanti de Ecclesia Dei meritißimi Pastoris, transibit ad futuri æui recordationem, cordisq; vestri mæstißimum torcular erit, qui firmißimum iubar Archidiœcesis Leopoliensis, & eximium decus perauguste Vrbis Vestræ extitit. Cum itaq; iucundo conspectui vestro, à Musa mea iusti doloris post obitum pyßimi Archipræsulis, iustum deponitur monumentum, felicitati adscribit: quòd, quem Pastorem dilexistis, eum, inenarrabili Virtute condecoratum Archipræsulem perenniter habituri estis.*

Procerum Patriæ meæ


Humillimus

Seruus

M. DANIEL CASTELLI

Philosophiæ Doctor, Scholæ Metropol: Leopol: Rector.

ALLVSIO
In Gentilitium Vrbis Leopolienſis
L E O N E M.



Dum LEO Rußiacum de montibus aſpicit Orbem
Mortem cum turba videt adeſse ſua:
Hanc mox in propria meditatur claudere Turri,
At mors ablatâ fugit ab Vrbe ROSA.

IN

Illustrissimæ & Antiquissimæ

DOMVS TARNOVIANÆ

INSIGNE.



Vernat in autumno, cæli plantatus in horto,
FLOS, ex autumno Ver fecit ergò nouum:
Non sic Assyrijs redolebant balsama terris,
Thus, & odoriparum Lechia temne solum:
Fragrat enim pulchris longè ROSA suauiùs herbis,
Vincit & externas FLOS Hic odore ROSAS.

PANEGYRIS

QVantum Patriæ meæ charissimæ, sit inflictum vulnus, deflendo vberiori lachrimarum copiâ Illustrissimi & Reuerendissimi ARCHIEPISCOPI occasu: illius tantùm vacillat ingenium qui impiè vehementi furore iræ exarsus, aduersùs pijssimum ARCHIPRÆSVLEM: Eius, post decretoriæ horæ ineuitabilem periodum, penitus memoriæ deperdit recordationem. Si etenim flexanimæ suadæ impolita Euterpe mea Archipræsulis Vestri excelsa eximiarum virtutum specimina explicare conabitur? profectò non confidendo à natura viriũ suarũ inditis conatibus cum Phäëtonte corruet: si plenitudinem meritorum errantis Lyræ Polihymnia tanti de Republica Viri enarrare ausa fuerit? tangendo immaturum adhuc barbiton cum Atlante deficiet: Si demũ; tenuis Minerua nouo quodã styli genere dicendi oscitantis calami pennam excitare voluerit? satiùs illi rectum suadet iudicium vt domestico non exeat angulo. Ne, vel stolidus lugubrem scriptionem meam subrideat Cyppus, aut multiplici scientiâ perpolitus excandescat Hortensius, si deuia ab hoc publico emporio recederet illa, indeq, ipsi violatæ Rhetoricæ adscriberetur dies. Quis alius nominis cõmendatione conscẽdere hoc altissimũ Archiepiscopalis honoris fastigiũ, præter IOANNEM TARNOVIVM dignior fuit? cuius luce meridianâ clariora præclarè factorum argumenta, ad æuiternæ posteritatis duraturum Mnemosynon succedentibus in hoc Subselio Archiepiscopali, extiterũt. Capiebant ingentem non mediocriter felici aduentu Eius, Incolæ Vrbis Leopoliensis lætitiam: quòd, cum admirandæ Virtutis ornamentis condecoratum Virum, hilarali susceperint vultu. Gloriabatur certè sapientissimus Laureati Leonis Ordo Senatorum, quòd, veram Ideam Sedis Apostolicæ repræsen-

tantem Archipræſulem ſpeculabatur. Exilire etiam ſemper videbantur in Oris Roxolanicis Dinaſtæ: quòd, iſtius dignitatis Gubernacula, tanquã de ſe meritiſsimo fuerint conceſſa. Ipſi Primi Sacrorum Præſides, exemplarem Virum IOANNEM TARNOWSKI, tanquam ſpeculum lucidiſsimum intuebantur, eumq; ſui indulgentiſsimum Parentem & Archipræſulem diuinitùs datum iure conſociato agnoſcebant. At nunc Eccleſia Leopolienſis Metropolitana ſupremo orbata Capite! Perauguſtum Capitulum amantiſsimo in Diuino Cultu promouendo deſtitutum Patrono! Ciues inclytæ Vrbis Leopolienſis eximium decus amiſerunt! Conſanguineorum oculi largioribus guttis lachrimarum irrigantur! & tota Archidiæceſis cum Clero Leopolienſi, iacturâ ac vltimâ Vitæ periodo Parentis ſui, in mæſtiſsimi incidit doloris labirynthum! Quod ſi concitatiori impolita Muſa impetu progrediatur, cognoſcet certè, iuſtè, morte ſalutaris Paſtoris, tanquam Vigilantiſsimi verâ luce fidei Chriſtianæ illuminatarum Ouium Cuſtodis, demiſsis oculis vagabunda Archidiæceſis incedat. Habebant namq; exploratum, qualem Paſtorem pacatiori hoc Statûs Reipublicæ tempore, poſt Felicem Electionem Sereniſsimi Principis MICHAELIS KORYBVTH, cæleſti demiſsum Olympo ingenti cum luctu perdiderunt. Omnes mirandum in modum lamentabilem cum miſerabili Niobe tragædiam agere & in ſudantia marmora verti ſepulchrali tumulo adſtantes intuuntur; ex oculisq; cum Heliadibus humantes diſtillant latices. Quem Tragicum Actum cum concitatiori calamo ſcrutatur, non mediocre ſibi elicit dubium: Cuinam iuſtiſsimum dolorem in funebris pompæ apparatu mederi debeat? vtrum deuotis Archidiæceſeos Leopolienſis Ouiculis? An vobis in perauguſti Capituli Corona exiſtentibus? Vtrum principium Genealogiæ è Linea antiquâ Domûs TARNOVIANÆ ducentibus? An in numeroſo Illuſtriſſimorum Heroum; tam currulia Senatoriæ dignitatis, quàm Supremas Exercituũ præfecturas tenentibus? Quorum

rum Augusta Nomina dum in reminiscentiam reuocat, tum vel maximè Archidiæcesim Leopol: regimini piè defunctì Antistitis subiectã, de fatali hora cõqueri videt. Cognouit proculdubio Proceres Amplissimi, si expandi vela Orationis eius patiamini, vt gratiæ Vestræ fauorabili Fauonio ad exoptatum propositi perueniat terminum; Vigilantem circa Ouile Christi Pastorem. Ac vt verùm fatear neminem latere potest, quòd, dignum memoriâ Archipræsulem, æterni Immaculatè Concepta, Dei Sponsa, in altissimo Archipræsulij honoris officio memorabilem cæteris Pastorem, ad dirigendum sanguine pretioso emancipatas Oues, collocarit: Vt salutiferis IESV CHRISTI mandatis vagabundos, in viam mille votis desideratæ Patriæ manes, adduceret. Dicam (pace aliorum Sacrorum Præsidum) quis Virorum istud Subselium eminentiæ Archiepiscopalis ob merita sancta commeruit? nonne IOANNIS TARNOWSKI Archiepiscopi Leopoliensis inenarrabilis Virtus? qui in viuido adhuc iuuentutis flore, vigili studio artium honestissimarum disciplinis deditus, adeò in earum progrediebatur passu, vt apicem summum scientiarum vnanimi omnium votorum calculo videretur possedisse. Non illum importunæ iuuenilis ætatis occupationes, à suscepto perdiscendarum artium proposito amouebant; sed tanquam egregiæ indolis à generositate non recedentem natiuus redolentis Rosæ stimulus, vt latũ vnguẽ ab illis non dsccederet, concitabat. Non ipsum mollia blandimenta, & vt veriùs dicam deliramenta, suis aculeis, ruinam adhuc immaturæ ætati minantibus detrudere attentabant: tutatrix probitas Eius, quam cum lacte Parentis indulgentissimæ candida ROSA suxit, ad istã vix tollerabilem animi compassionem, non fallaci expectatione Illustris; Familiæ TARNOVIANÆ ducebat, dirigebat, excitabat. Istis itaque naturæ beneficio cohonestamentis imbutus, cùm imaginem summæ bonitatis Tarnouiana ROSA obtinuerit, salubri consilio Maiorum suorum, vt Ecclesiæ Dei & dulcissimæ Patriæ, velut alter Polonus Hercules pro-

 desse

desse posit, mox in faciem Orbis publici erupit. Atq; ne segni torpesceret otio ad inuictissimum REGEM Poloniæ Sigismundum III. tanquam tutissimum firmamentum diuertit: in cuius splendidè ædificatis aulis, Sapientiæ thesauro adeò præfulsit; vt meritò cum Sceptro Regali præsidentis Principis animum in amorem sui attraxerit. Vidit apertissimè Sigismundus REX quanta vis ingenij, quàm altissimum rationis iudicium, ad obeundum in Republica officia, maximè tamen in promouendo Ecclesiæ Dei cultu in ipso valuerunt. Nec delusus intentionis suæ animaduersione erat, dum emeritum ad Canonicatûs Cracouien: prærogatiuã destinauit. Quis enim Hæreseos maleuolentiâ infectæ plebis præter TARNOVIVM fuit repressor? profectò Ipse genuinus extinctor? Quis in honorem Dei dicatæ Ecclesiæ defensor? quà in Generalibus Regni, quà in priuatis Comitijs, extitit? dum fædatis errorum inquinamentis, regnante Sigismundo Rege in Prælatura Canonicatûs Cracouiensis existens, fortiter repugnauit. Conatus omnium virium suarum eò dirigebat, vt in primo gradu Ecclesiam Dei ab impetu infensissimorũ hostium defenderet. Testes sunt huius Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis Canonici, testis Academia Cracouien: cuius ille semper acerrimus defensor extitit, maluitq́, priùs vitalem spiritûs auram finire, quàm minimã Matris Academiæ iacturã videre. Agnouit totius Christianitatis primaria Vrbs Roma, in niueo Rosæ nitore Virtutis eximiæ radices, inibiq́, Iuris vtriusq; Doctoratûs insignia IOANNI TARNOWSKI in spem promouendi & defendendi cultûs Diuini, cum applausu contulit. Quàm verò felici fortunæ aleâ Archidiaconatûs Cracouiensis gubernacula sub tempus Inuictissimi Vladislai IV. in Throno Regiæ Maiestatis præsidentis, administrabat; angustia citò labentiũ dierum & acceleratio funeris, explicare non permittit. Narrent aliorũ characteres quàm multoties in sapientissimo, debitam iustitiæ administrantis æquitatem Consessu Tribunalis, saluberrima consilia velut ab altiori Sapientiæ fonte educe-

educebat, illorumq́, proficuam ſententiam per Venas Patriæ fidiſsimo ductu tranſmittebat. Ediſſerat fertilis Heroũ Regni Poloniæ Senatus, quoties IOANNES TARNOWSKI arduis boni publici negotijs vltrò ſuam ſalutẽ exponebat. Speculabatur IOANNES CASIMIRVS Princeps, Alti Sanguinis & Virtutis in hoc TARNOVIANÆ ROSÆ Flore, Candidæ mentis ſpecimina, Ipſumq́, ad plantandam Vineam Chriſti, cum Dei primariò & poſt ſummi Pontificis ALEXANDRI VII. Gratiâ in Archiepiſcopatûs Sedem deſtinauit. O felix tum temporis, Princeps Terrarum Ruſsiæ Vrbs fortiſsima & ſapientiſsima Leopolis, ſydus tuum fuiſse liberè dicam! quæ antè quindecim annos, ob admiranda in Eccleſiam Dei & Rempublicam Poloniæ merita Inſignem Archiepiſcopum ſuſcepiſti. O Paſtorem æuiternæ memoriæ commemoratione digniſsimum! in cuius vita pijſsimè tranſacta, integritas inuiolata Fidei Chriſtianæ in Roxolanicis Oris enituit. Effloruit Vigilantiſsimo Sacer Paſtore Clerus, Virtutisq́, perfectionem & Sacramenta piè adminiſtrauit, ac Schiſmatum tenebras amæniſsimo horto Chriſtiano abire quodammodo fecit. Nemo certè in hac Clariſsima Metropoli Ruſsiæ reperiebatur, qui, ad faſces Archiepiſcopalis honoris obtinendos, communi voce populi, conſentaneis Ciuium Votis, maximoq́; Sacerdotum deſiderio, veluti alterum Moyſen aut Aaronem diuturnis annorum luſtris Archiepiſcopum viuere, non affectaret. In iſtius Vigilantiſsimi Paſtoris ſingulari patrocinio ſicut forti Achyllis clypeo, inclyta Vrbs Leopolienſis conquieſcere exoptauit: quia regnante dexterâ Eius, in flore ac priſtino vigore, ſe manſuram non dubia ſpe præſenſerat. Eheu amiſit iam Metropolis Ruſsiæ in diuino cultu promouendo Supremi Sacerdotis *ſpiritum feruentiſsimum*! in defendendo *patrocinium*! inſignem in ornando *magnificentiam*. Perdidit Sacer Cyſterſienſum Ordo perpetuâ dignam commemoratione Roſam IOANNEM TARNOWSKI, cuius ſemper deſideratam Præſentiam, pro ſummis

in Basilica Mogilænsi habebant delicijs, quem vnanimi votorum suorum desiderio, in perpetua Abbatiæ Claræ Tumbæ Administratione, mille candidos numerare cum Polycrate apprecabantur dies. Destituta est Academiæ Stanisłauouiensis Colonia, ab Illustris: & Excellentissimo Domino ANDREA POTOCKI Palatino Kijouiensi erecta, fauorabili in augendo Protectore. Quotiescunq; expostulabant in finibus POKVCIÆ habitantes ab hoc pijssimo Pastore, veram Dei cognitioné; doceri eos per Sacros literatorum Ordines, apprecans ipsis æternæ felicitatis coronam, Vigili studio curabat. Ille acsi Augustissimum lumen Ecclesiæ Dei Diuus Augustinus, frigidiora marmore maleuolorum pectora, per Diuinos Præcones ad amplectendum virtutum studia stimulabat. Ille acsi Ambrosius maleuolorum hominum ægritudini, cælestes ambrosias suaueolenti sermone suo propinare, intuebatur. Quid dicam de afflictis? quid de summa inopia pressis? nonne Ille ex deuotissimo pietatis spiritu radios beneficentiæ suæ in eos diffundebat. Non insinuo liberalitatem genuinam Nominis eius progenitricem commendandam, quæ non solùm in visceribus Regni Sarmatici perennatura, sed extra fines Patriæ fontem perennem gloriæ, tanquam TITI VESPESIANI, elargientem IOANNIS TARNOWSKI manum, productura est. Taceo amorem electo DEI populo semper à piè defuncto Antistite pro sua mirifica officiorum promptitudine multoties exhibitum. Prætermitto admirandam erga Immaculatè Conceptam Dei Sponsam quotidianam deuotionem: cùm mei sit muneris de Diuinis aut parùm aut nihil dicere. Nequidquam dico de prudentia, religione, iustitia, alijsq; infinitis animi & corporis dotibus. Difficile autem est non modò verbis exequi, sed etiam ipsâ diligentiori mentis cogitatone consequi: quomodò in Angelica fermè canitie Vigilantissimus Pastor Vegetam peragendo senectam, de vltima vitæ periodo claudenda sollicitus fuit; cùm ne minimum quadrantem à meditatione Mortis recessit. O verè aureo

notandum

notandum lapillo Archipræsulem! instante illâ decretoriâ horâ, quam vnusquisq; viuentium ex infallibili sententia Supremi Iudicis expectat; Deo glorioso deuotum suum spiritum commendauit, sicq́, & dispositè iuxta Ritum Romanæ Fidei Catholicæ, & pijssimè vltimum vitæ terminum Antistes finiuit. Proh dolor crudelem immanis Proserpinæ manum; quæ gemmeam pietatis & deuotionis Infulam Vigilantissimo Pastori rapuit: in summæ perfectionis figura Vigilantiæ Galerum, quo ab æstu inimicitiæ commisso sibi gregi vmbram faciebat, deposuit: Sacratum sacri regiminis pedum, quo aberrantes Christi Oues dirigebat, detrusit: purissimo Diui Petri Pallio quo Prælatos ad Dei obsequia potenter muniuit, Archiepiscopum sanctitatis vestigia imitantem, orbauit, spoliauit. Heu lingua quomodò tantam iacturam Archidiæcesis Leopoliensis posteritati commendabis! Heu quâ vi imbecillis ingenij tui, in marmoribus excisa, in tabulis exculpta, post decessum è viuis Illustrissimo & Reuerendissimo Domino IOANNI TARNOWSKI, pones trophæa & emblemata: siquidem Ille splendore suo & gloriâ, suâ dexteritate & prouidentiâ, reddidit Archidiæcesim Leopoliensem perfectiorem. Recrudescat potiùs in te post Cladem dolor, induat tristem colorem tenuis tua Eloquentia, & Vos Proceres Patriæ, in funebralibus Illustrissimi & Reuerendissimi Domini IOANNIS TARNOWSKI Exequijs, Zelosissimum Fidei Christianæ Propugnatorem, miserorum promptissimum Auxiliatorem, Virtutum omnium tenacissimum Obseruatorem, lamentamini. Cùm ipsa Organa ad perpetuam rei memoriam, sub Felicissimis auspicijs Illustrissimi & Reuerendissimi Dñi IOANNIS TARNOWSKI in Ecclesia Metropolitana Leopoliensi exposita, lugubrem morte eius Metamorphosim assumere videntur, suauiterq́, sonantes fistulæ cum suo Fletu, nil nisi lamentabilem fletum ad busta eius causare audiuntur. Occubuit in ipso Occasu solis, TARNOVIANÆ Domûs ROSA quæ Margaritis la-

pidibusq; maximi pretij & suauiter olentibus Virtutum flosculis contexta fuit. Hæc ergò omnium de Ecclesia Dei & Republica Polona pijssimi Antistitis meritorum plenitudo, ne, in Vestra Amplissimi Proceres occidat recordatione, poscit à vobis mercedem cunctarum Vigilarum suarum; quibus tot annis velut salutaris Christi Medicus medebatur. Vigeat in recenti IOANNES TARNOWSKI memoria Vestra, eiusq, Nominis commemoratio ita celebretur, vt extingui nunquam possit. Fruatur hoc solatio ad præsens ARCHIEPISCOPVS defunctus, vt quoniam in continuo circa Ouile Christi tractu vitam extendebat suam, eius gloriosæ Virtutis fama cum labenti annorum serie prorogetur. Nunc verò quia Dei voluntate Illustrissimus & Rndmus Dominus IOANNES TARNOWSKI ad metam ineuitabilis peruenit mortis, Ei trophæum beatæ immortalitatis erigendo, Lucis incessabilis claritudinem apprecamur.

DIXI.

Excellentis Dni Dni Danielis Castelli Leopolensis Phiæ Doctoris Labor.

mpr